



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Metropolis Salisbvirgensis

Continens Primordia Christianæ Religionis Per Boiariam Et Loca quædam vicina; Catalogum videlicet & ordinariam successionem Archiepiscoporum Salisburgensium, & Coëpiscoporum, Frisingensium, Ratisponensium, Patauiensium, ac Brixinensium

Hund, Wiguleus

Monachii, 1620

Serenissimo Et Potentissimo Principi Ac Domino, Domino Maximiliano Vtrivsqve Baioariæ Monarchæ Comiti Palatino Rheni &c.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13553

SERENISSIMO
ET POTENTISSIMO PRINCIPI
AC DOMINO, DOMINO
MAXIMILIANO
VTRIVSQUE BAIOARIÆ
MONARCHÆ
COMITI PALATINO RHENI &c.

Domino meo clementissimo



I QVISQVAM VNQVAM,
Serenissime Princeps, Domi-
ne clementissime, historia-
rum scriptor de amplissimo
BAIOARIÆ siue regno siue
Ducatu benè meritus dici
debet; primas omninò partes iure sibi ven-
dicat Nobilis ac Iureconsultissimus vir,
Dn. VViguleus Hund à Sulzemos; Ser.^{us}
V.^{us} aui Ducis ALBERTI V. cuius anima
DEO viuit, nec non Serenissimi genitoris
GVLLIELMI V. olim Consiliarius, ac su-
premi Tribunalis Boiorum Monachij præ-
ses. Is etenim quotidianas inter, graui-
simasque officij sui occupationes defati-
gatas

gatas animi vires colligere solitus, ad historiae lectionem (talis & tanti Reipublicae nati factique viri studium hoc proprium) se contulit : & quicquid inter legendum notatu dignum occurreret, commentarijs suis insertum, in gratiam & perennem Boiorum laudem, annis ab hinc triginta octo sub titulo METROPOLIS Salisburgensis publici iuris fecit.

Agnouere cum ipsi Boij, vt par erat, tum exteri quoque optimi viri magna industriâ perfectum opus; tantoque legendi ardore arripuerunt, vt vix vno atque altero anno elapsis nullum amplius exemplar venum prostacket.

○ Commonefactus ergò à quamplurimis viris religione, doctrinâ, dignitate conspicuis, ante annos penè viginti de perennando Hundiano partu, ac quo ad eius fieri posset, auctius & emendatius edendo cogitare coepi. In quem finem omnia vbiuis locorum antiqua monumenta, labore quidem haud exiguo, non tamen pœnitendo conquisiui : nonnulla etiam è Ser.^{tis} V^æ arcano chartophylacio deprompsi: ac tandem quæcunque nactus sum, quo meliori atque commodiori modo licuit, in
vnum

vnum corpus redacta pro meo erga Ser.^{tem}
V.^m & amplissimam Boiorum gentem de-
bitæ obseruantia officio, in lucem prodi-
re curauit.

Ser.^{tas} V.^{ra} non offerentis tenuitatem,
sed rei quæ offertur dignitatem serena,
quæso, fronte contueatur: Et factum hoc
meum ex sincera deuotione profectum æ-
qui bonique consulat.

Diuina
Maiestas, quæ inclitos Boiorum Principes
cum tota gente sua ab tot iam sæculis singu-
lari fauore profecta est; & donis simul bo-
nisque cælestibus & humanis auxit & cumu-
lauit: eosdem deinceps pro infinita sua cle-
mentia tueatur, & ab omnibus aduersæ for-
tunæ tempestatibus, quæ passim imminere
videntur, saluos & incolumes conseruet.
Monachij XII. Calend. Martij, Anno Chri-
sti. MDCXX.

Serenissimæ Cels. Vestræ

addictis. seruis.

CHRISTOPHORVS GEVVOLDVS.